





*mitte luxemb.*  
27. J. 1408. 5  
121  
1787

DE  
**P O E N A**  
LEGIBVS ROMANIS  
ADVERSVS VINDICTAM  
PRIVATAM  
SANCITA  
IN FORIS ADHVC VALIDA.

---

DISSERTATIO  
QVAM  
PRO FACVLTATE DOCENDI  
IN ACADEMIA IULIA CAROLINA  
PERMISSV

ILLVSTRIS IVRECONSULTORVM ORDINIS

D. XX. SEPTEMB. A. MDCCCLXXXVII.

DEFENDET  
D. ERN. LVDOV. AVG. EISENHART

ADSVMTO SOCIO  
AVGVST. GVILIEL. FERD. MEYER  
GANDESIENSI IVR. ET PHILOS. CVLTORE.

---

HELMSTADII  
TYPIS IO. HENR. KVEHNLIN.

DE  
POENIA  
LICENS TONI  
MATOZIUS  
ADAPRIL 21  
PRIMA  
1710  
LITERIS LUDVICO HANDEL

DIESER DATUM

1710  
LUDVICO HANDEL  
HANDEL  
LITERIS LUDVICO HANDEL

1710  
LUDVICO HANDEL



§. I.

*Ratio instituti.*

**Q**uemadmodum vitae socialis ac maxime ciuilis inter homines origo in maioris securitatis ac salutis singulorum, qui e statu solitario et priuato migrabant et in societates coibant, studio quaerenda est, sic etiam in eadem securitate et salute communi primarius finis, quem quaeque bene ordinata ciuitas obtainendum sibi praefixit, requiecit. Hinc per se iam appetat, quaecumque priuato consilio supremaeque illius ciuitatis legi repugnentia ex illius finibus tollenda, grauissimis terriculamentis reprimenda, penitusque, si fieri potest, extirpanda esse. Quid autem isti consilio ac legi magis aduersetur, quam illa priuatorum et singulorum licentia, propria auctoritate ius sibi ipsis dicendi? qua tolerata, fieri sane nequit, quin suprema in ciuitate potestas, eam ipsam ob causam, ut suum cuique ius tribuatur, constituta, a potentioribus ciuibus, immo ferocioribus nefariisque hominibus contemnatur, pessundetur planeque evertatur. Minime mitum igitur, quod qui in summa inter omnes qui orbem Romanum unquam tenuerunt, sapientiae celebritate versatur, Imperator Marcus Aurelius, Philosophi nomine ab historicis ornatus, eoque dignissimus, poenam aliquam seueriorem in eos statuerit, qui priuato ausu ius sibi quaerunt, propriaque auctoritate persequuntur. Iam vero, receptus in Germaniam Romanis legibus, nobilis inter Iureconsultos exorta dissensio est, vtrum illa poena iuris Romani

A 2

ad

ad statum imperii Germanici applicari ideoque apud nos quoque in usum vocari possit, nec ne a). Inter eos, qui eius usum hodiernum negant, nemo Iureconsultorum nostrae aetatis in rationibus, pro tua sententia sua, nouis inuestigandis, confirmandisque, majori uersatus est studio, quam ill. CLAPROTH, Vir eximie de iurisprudentia forensi meritus, qui non solum singularem dissertationem hac de materia conscripsit b), sed et pluribus aliis scriptis, postea editis c), sententiae suae maius addere pondus sollicitus fuit. Quamuis plures et quidem magni nominis ICti, auctoritatem ill. CLAPROTHI fecuti d), in eius abire partem non dubitarunt, ingenue tamen fatemur, plura adhuc esse, quae animum nostrum hac in re suspensum teneant. Operae itaque pretium facturi videmur argumenta, quibus usus juris Romani in hoc capite impugnatur, paullo accuratius perpendendo, atque, disqurendo, utrum illa tanti sint momenti, ut poenam, a Diuo Marco vindictae priuatae addictam, plane e iudicis nostris hodie proscribendam esse, consentiamus. Ita autem in hac quaestione tractanda versabimur, ut primum veram vindictae priuatae illicitae notionem finiamus, in quam D. Marcus primus poenam grauiorem fanciuit, deinde breuiter id, quod Romanae leges de ea disponunt; percurramus, ac denique, rationibus pro usu illarum legum hodier-

a) Recensum utriusque sententiae fautorum suppeditat I. H. BOEHMER in diss. de poena ius sibi dicentis hodierna. c. 1. §. 2. et 3. et Perill. KOCHIVS institut. I. crim. §. 242. Schol.

b) de Non - usu decreti D. Marci et poenae priuationis in viam facti statutae ad l. 13. D. quod metus causa et l. 7. C. unde vi.

Göttingae. 1757.

c) Cf. Einleitung in den ordentlichen bürgerlichen Proces. §. 3. item Einleitung in sämmtliche summarische Processe. pag. 129. n. a.

d) v. c. QVISTORP Grundsätze des deutschen peinl. R. §. 190. PÜTTMANN in elementis I. crim. §. 190.

hodierno expositis, ad argumenta dissentientium respon-  
deamus.

## §. 2

*De notione illicitae vindictae priuatae.*

In genere *violentiam* omnem sic definire licet, ut sit malum praesens, quod alicui ita, ut illi resistere nequeat, facto externo infertur e). Hoc malum vel ita comparatum est, ut ei, qui illa vitetur, illud adhibendi ius sit, vel non; inde violentia in *iustam* et *injustam* dispeicitur. De illa differere iam non vacat. Quod autem ad inuestigam, haec aut aliis delictis, peculiari nomine per loquendi consuetudinem designatis, inest, aut in proprium delicti genus transit, cui plura violentiae genera subsunt, quae vero singulari nomine a se inuicem legibus non solent distingui. Huc quoque referri debet vis illa, quam vindictam priuatam sive viam facti, nominare solent, quae iterum modo latiori, modo angustiori sensu occurrit. In illo intelligimus factum illicitum, quod committit, qui sibi ius propria auctoritate vindicat et sibi personam iudicis in re sua sumit. In sensu posteriori autem, cuius D. Marcus rationem habuit, et de quo iam nobis est sermo, vindictam priuatam dicimus factum illicitum, quod committitur ab eo, qui animo ius sibi dicendi non implorato iudicis officio, aut alteri rem, cuius est dominus, vel esse opinatur, eripit, aut alterum ex possessione eius expellit, aut eum vi adhibita compellit ad praestandum id, quod ei vel re vera debetur, vel ipse sibi deberi duntaxat existimat. Cum vero vis etiam, quae infertur a modo differat, quo infertur; variae distingui a doctoribus solet, quippe qui delictum illud triplici considerarunt respectu. Aut enim, aiunt, res, quae alteri eripitur, mobilis est,

atque

A 3

e) 1, l. 2. ff. quod metus causa.

atque tunc *ablativa* vocatur *vis*: aut ex *immobilis rei*  
possessione alter extruditur; tunc *expulsiva*: aut denique  
*adhibetur vis ad alterum cogendum*, ut debitum aliquod  
praestet; tunc *compulsiva* nuncupatur. Sed quoquo mo-  
do vis fiat, non aliter vindictae priuatae naturam induit,  
nisi committitur animo ius sibi dicendi, et irrequsito iu-  
dicis legitimi praesidio.

## §. 3.

*Dispositiones LL. iuris Romani de vindicta priuata  
in sensu angustiori.*

Etsi in republica Romana semper vindicta priuata illi-  
cita fuit f), Imperatores tamen quam maxime homines  
ab eiusmodi iudiciorum, immo et salutis publicae con-  
temtu poenis detergere studuerunt. Inter sanctiones, quae  
hac de re in corpore iuris civilis exstant, imprimis eminet  
l. 7. D. ad L. Iul. de vi priuata g), quae ex Callistrati, iu-  
reconsulti, tempore Seueri et Caracallae florentis, libro  
quinto de cognitionibus depromta est. Cum enim, ut lex  
docet, Marcianus quidam, quem docti viri Aelium Mar-  
eianum, eundem, qui tempore D. Pii proconsulatum  
Baeticae gerebat, fuisse, suspicantur, rem vel pecuniam  
sibi debitam in iusto debitore propria auctoritate occupas-  
set, atque quiescendum esset, vtrum ex edicto, quod metus  
cauifa, an ex lege Iulia de vi priuata, teneretur; Caesar  
respondit, eum in legem Iuliam incidisse, simul autem  
decreuit, ut "quisquis probatus ei fuerit, rem ullam debito-  
ris non ab ipso sibi traditam sine ullo iudice temere possidere,  
eumque sibi ius in eam dixisse, ius crediti non habiturus  
"sit."<sup>h)</sup>

f) Cf. III. WALCH historia  
iuris civilis de vindicta priuata.  
Isnae 1768.

g) Egregie ad hunc textum  
commentauit O. WESTENBERG  
in D. Marco. In suis Oper. T.  
III. p. 323 §. I.

"sit." Idem textus Callistrati, sed a Triboniano paulo mutilatus legitur l. 13. D. quod metus caussa. h) Altera lex, quae hoc primario spectat, est Valentiani iun., qui l. 7. C. Vnde vi edixit i): "Si quis in tantum furoris peruerterit audaciam, ut possessionem rerum apud fiscum, vel apud homines quoslibet constitutarum ante aduentum judicialis arbitrii violenter inuaserit, dominus quidem constitutus possessionem, quam abstulit, restituat possessori, et dominium eiusdem rei amittat. Si vero alienarum rerum possessionem inuaserit, non solum eam possidentibus reddat, verum etiam aestimationem earundem rerum restituere compellatur." Eadem poenam ratione mobilium confirmavit Imperator Zeno l. 10. C. Vnde vi. Ex omnibus his textibus, quorum plures, si opus esset, facillime congerere possemus k), tantum liquet, poenam in vindictam priuatam angustioris significationis aut in priuatione dominii vel crediti consilitero, aut in praestatione aestimationis, quando quis, rem alienam suam esse, aut sibi deberi aliquid, ex errore credidit, quod sibi non debebatur, et id priuato ausu occupauit.

§. 4.

*Rationes pro vsu harum poenarum hodierno.*

Veniam ad caussas, quae pro vsu decreti D. Marci reliquarum legum modo laudatarum pugnant l). Prima esto,

h) l. 1. §. 9. C. de vet. iure encl. Iustinianus iussit, ne leges similes in iure nostro ponerentur, attamen ipse Imp., id non nunquam accidisse, l. 12. §. 14. C. eod. fatebitur PANCROLLVS Thes. var. lect. l. 1. c. 18. in foliis digestis 138 similes enumerat textus.

i) Integrum hunc textum reperies in l. 3. C. Theod. Vnde

vi. De occasione huius legis legi meretur GODOFREDVS ad hunc textum.

k) Leguntur plures in supra n. a. laud. diss. L. H. Bochmeri.

c. 1. §. 5.

l) Vberius eas expositas legas in BOEHMERI diss. l. c. cap. 2. §. 4. et in S. STRYKII V. M. L. IV. tit. 2. §. 9.

¶

esto, quod ius Romanum in vniuersum ita est apud nos receptum, ut omnes ac singulæ eius dispositiones præsumantur, tanquam ius commune, valere, donec illæ vel consuetudine Germaniae vniuersa, vel expressa imperii lege abrogatae fuerint, vel plane statui reipublicae patriæ aduersentur. Cum vero nihil horum poenae in vim priuatam dictatae acciderit, eam adhuc obtainere sua sponte sequitur. Altera, quod etiam iure canonico haec priuationis poena confirmata est, cum c. 13. C. 1. q. 4. ipsa verba l. 7. C. *Vnde vi reddat m;* Tertia denique, quod ius patrium antiqui et mediū non magis, quam recentioris aeuī, aequitatem huius poenae agnoscit. Quantum enim artinet ad ius antiquum, in Lege Visigothorum n) constitutio eius tenoris legitur: *"Quicunque violenter expulerit possidentem, priusquam pro ipso iudicis sententia procedat, si causam meliorem babuerit, ipsam causam, de qua agitur, perdat."* Ex qua lege certe tantum liquet, ut ipsa gens parum culta, et imprimis seuerioris disciplinae impatiens, ius Romanum propter summam, quae ei hac in re inerat, aequitatem naturalem, ad suos mores traduceret. Sic quoque ratione mediū aeuī prouocari solet ad art. 43. et 47. L. 3. Speculi Saxonici; sed labenter concedo, utrumque textum nihil amplius dicere, nisi, illum, qui vi iniusta alteri aliquid eripiat, deinde autem in iudicio conuinatur, ei nullum ius in rem ereptam vel inuasam competere, eam cum mulcta et emenda restituere debere. Apparet igitur, de poena in viam facti iure prouinciali Saxonico omnino non esse sermonem, sed de animaduersione modo in eum, qui sciens res occupauit alienas. Maioris ponderis autem sunt leges imperii recentioris aetatis, quae pluribus in locis ius Romanum intuitu poenae priuationis confirmarunt. Quod quidem, et disertis adeo verbis factum

m) V. etiam c. 1. C. 16. q. 6. n) L. 8. t. 1. l. 2.  
et c. 18. de præb. in 6to.

factum esse, perspicitur ex O. Cam. de a. 1521. tit. *Wie  
in Irrungen de possession etc., vbi uerba occurrunt:* "Und ob  
"es sich zu Zeiten begebe, dass einer hohes oder niedrigen  
"Standes den andern entsetzt, und das mit Recht ueberwunden  
"maere, in Sacheu die den Friedbruch mit belangen, soll der  
"Entsetzer dadurch directum dominium das Eigenthum oder  
"Hauptgerechtigkeit der Güther oder Gerechtigkeit, um die  
"Streit gewesen, verloren haben. Wo aber dieselbige Güther  
"und Gerechtigkeit gedachten Entsetzer mit ihrem Eigenthum  
"nicht zugeborene, soll er denselben Werth dem Entsetzten  
"nach Ordnung der gemeinen Rechte zu geben schuldig seyn."  
Idem etiam confirmauit R. I. de 1532. tit. Cammergericht  
betrifft. art. 15. Neque ipsa nemesis Carolina alias  
poenam in illos securitatis publicae turbatores, violento  
modo ius suum quaerentes, adhiberi voluit; id quod  
fluere mihi videtur ex art. 105, vbi in genere caustum est,  
toties secundum iura Caesaram i. e. ius Romanum, deli-  
ctorum animaduerisionem iudicandam esse, quoties in C.  
C. C. de iis nihil sit dispositum.

## §. 5.

*Rationes diffentientium: 1) poena priuationis I. R. in  
viam facti iniustitate laborat.*

Qui vsum poenae priuationis, quam ius Romanum  
in priuatam vindictam statuit, negant, nimiae seueritatis  
iniquitatisque eam accusant o). Probri huius duobus  
vtuntur argumentis: *Primum*, contendunt, decretum D.  
Marci in vindicando délictio iustum non seruare modum,  
cum idem violentiae et malitia gradus eandem sibi poe-  
nam contrahere statuatur, siue maximi, siue minimi pre-  
tii sit res illa, in quam aliquis ius suum vi adhibita con-  
fert;

o) CLAPROTH in laud. Diff. I. c. §. 5.

fert; quod ab aequitate imo adeo iustitia, quae pro modo  
criminis poenam decernit, alienissimum esse aiunt. Deinde  
addunt, leges Romanas dolii rationem non habere, neque  
satis accurate casus secernere, utrum quis, probe sibi con-  
scius, ius sibi nullum in alterum, vel eius rem compete-  
re, an ignorans, ius sibi ipse dixisset. Vtriusque huius ra-  
tionis robur generatim quidem principio iuris, legema  
quamvis duram tamen sequendam esse p), debilitatur et  
frangitur; verum et illa iniquitas, qua poenam priuationis  
arguant, re recte perpensa, a decreto D. Marci mul-  
tum omnino abest. Priori enim argumento repugnat,  
quod magnitudo delictorum non ex gradu malitiae desin-  
quentis solum, sed etiam ex periculo et damno, quod inde  
sequitur, et quod rem publicam ipsam tangit, aestimanda  
est.q) Cum autem modus poenae a modo delicti pendeat, cogi-  
necesse est, acerbius animaduertendum in eum esse, qui  
ex maioris, quam qui ex vilioris pretii possessione alterum  
deturbavit. Nonne autem quam accuratissime imperator noster, Antoninus, hanc seruat legem? Nonne  
et ipsa C. C. C. eandem saepe fecuta est? r) Quid est er-  
go, quare non hanc quoque Carolinam acerbitas, ini-  
quitatisque nimiae arguas? Non maioris est ponderis alterum argumentum, quoniam, si omnino non fallor,  
plane ad nostrum casum non pertinet. Supra enim lau-  
datae leges I. R. poenam priuationis in eum sanxerunt,  
qui sine iudice rem, quae sua est, vel quam ille solum  
suam existimauit, vi propria perseguitur. Si quis igitur  
absque animo ius suum persequendi, atque sciens, res  
istas

p) N. 82. c. 10. l. 1. et 9. C.  
de legibus. Erronea est opinio,  
quam LEYSER Sp. 3. m. 7. pro-  
fert, legem nimis acerbam, quam-  
vis claram, secundum aequita-  
tem naturalem explicandam esse.

q) V. QVISTORP Grundsätze  
des D. P. R. P. 1. p. 102. AN-  
DREAE Diss. de iusta delictorum  
et poenarum quantitate. § 5.

r) e. g. art. 112, 113, 160, 161.

istas ad se non pertinere, propria auctoritate occupat, in alia incidit, ita, vt si res sit mobilis, in rapinam, si vero immobilis, in aliud innominatum violentiae crimen, de quo publicam aliquam, plerumque arbitrariam, poenam luere debet. Vbinam, fortasse aduersarii vrgent, dolus latet? In eo, inquam, est positus, quod is, qui sibi ipse, neglecto et praeterito iudice, ius dixit, temere violauit legem, quam ipsa societatis ciuilis natura ponit, et quae, salua hac societate, violari non potest. Fieri igitur nequit, quin quisque rationis particeps et in societate, in qua superior potestas constituta est, degens, sine dolo i. e. proposito ius naturale laedendi, decretum D. Marci transgreditur. Simul autem ex eo intelligitur, delictum vindictae priuatae in eos cadere non posse, qui vel integro rectae rationis vsu destituantur, veluti infantes, furiosi etc., vel tam tristi temporum conditione viuunt, vt, iudiciis clausis, omnis iustitia in vi et armis quaerenda sit, vel tam vrgente necessitate aliqua premuntur, vt, nisi ipsi auxilium qualemque corripiant, summum damnum, periculumque effugere nequeant. <sup>s)</sup>

### §. 6.

#### 2) *Dicta poena statui imperii Germanici non conuenit.*

Secunda ratio, quae contra usum iuris Romani in hoc loco affertur, in diuerso imperii Romani et Germanici statu collocatur. t) Romanorum enim rempublicam ita comparatam fuisse, volunt, vt, propter aequalitatem nec non potentiam membrorum, licentia propria auctoritate sibi ius dicendi facilius bellorum intestinorum materiam praebitura fuisset, inde etiam tantum vindictae priuatae odium legum Romanarum proficiisci, vt Valentinianus eam

B 2

l. 7.

s) l. 10. §. 16. D. quae in fraud. de vi. §. 9.  
debit. BVSSE Diff. ad l. 7. C. un. t) CLAFROTH l. c. §. 6.



l. 7. C. *Vnde vi furori aequiparasset.* In Germania contra medio quidem aeuo reipublicae faciem tristem ac turbulentam fuisse, publicata autem, Maximiliano I. regnante, imperii pace, instituto camerae imperii iudicio, introductoque milite perpetuo, non solum mala libertatis nimiae feliciter esse sopita, sed rigore quoque juris Romanii hodie non amplius indigere, hisque praesidiis adeo securitatem publicam esse munitam, ut ex vindicta priuata nobis non tantum, quantum Romanis, reipublicae detrimentum metuendum sit. Dubito autem, rationem poenae priuationis specialem in aequitate ac potentia ciuium esse querendam; primum, quia sine dubio Romani ciues non majori aequalitate, quam nostri, gaudebant, variisque ordinibus, ac diuersis honoribus, in primis Imperatorum temporibus, a se invicem distinguebantur; deinde, quia etiam in Germania alii aliis potentiores existunt, qui, nisi leges grauius peccantibus poenas minarentur grauiores, metuendum foret, ne infirmiores oppriment. Accedit denique, quod in l. 7. D. ad L. Jul. *de vi priuata*, qua Antoninus Philos. poenam priuationis primum decreuit, neque vola neque vestigium illius specialis rationis contineatur. E contrario ex hac lege apparere mihi videtur, nihil sapientissimum imperatorem ad eiusmodi poenam sanciendam commouisse, nisi quod iuri, et ciuili et naturali, aduersari putaret, ius sibi propria dicere auctoritate, propriaque manu defendere. u) Hoc enim verba, quibus D. Marcus Marcianum alloquitur, coarguere videntur: "non puto autem," inquit, "nec vere cun-diae, nec dignitati tuae conuenire, quicquam non iure face-re. Quisquis igitur," pergit, "probatus mibi fuerit etc." Cum enim Imperator Marciano rationem, quare factum eius violentum et iniquum declarabat, exposuisset, statim,

ex

u) Praeclare Ill. WALCHIVS in  
notis ad ECKHARDI hermeneuti-  
cam I. pag. 26. praecipit, in in-

vestiganda legi ratione, primum  
in sensum ipsius legis inquiren-  
dum esse.

ex eadem commotus ratione, omnibus ciuibus licentiam, via facti viendi, addita priuationis poena, prohibet. Non negamus quidem, Valentianum l. 7. C. *Vnde vi*, violentam iuris sui persecutionem furorem appellasse, sed recte apud nos quoque ille furiosi instar habendus est, qui leges a natura ipsa homini insitas, spernit, et temere perfringit. Et, quod ad postremam ratiunculam pertinet, fortasse, quo magis hodie securitati publicae praesentique militis perpetui praesidio prospectum est, eo verius iste furoris est accusandus, qui, his inuitis, ad viam facti confugit; adeoque ex hac ipsa constitutione rerum publicarum nostrarum felicissima, augetur criminis huius reatus, qui idcirco duriorem postulat poenam, quam qui in ipsa Romana republica similem sibi culpam contrahebat.

### §. 7.

#### 3) *Poena priuationis tanquam poena priuata moribus germanicis repugnat.*

Tertio negatur, poenam, qua D. Marcus vindictam priuatam infringere studuit, non amplius nostris conuenire moribus, quippe quod poenae priuatae ab vsu recessissent, neque fere actiones dupli, tripli et sic porro in foris Germaniae cognitae essent. x) Quod quidem etiam si largiri vellemus, nimirum actiones dupli etc. in defuetudinem abiisse, (quamuis et hanc quaestionem non ita prorsus confectam esse existimemus, ut ab omnibus dubiis sit expedita, y) tamen nullo pacto concedere cogimur, argumentum ab his poenis, ad omnes reliquas, quae priuatis secundum ius Romanum cedunt, valere. Fac enim, actiones in duplum etc. ea propter nobis hodie esse

B 3

x) CLAPROTH I. c. §. 7.

imprimis poenalium. Lips. 1706.  
y) V. BERGER de vsu actionum  
LYNKER in analectis ad Struvii  
tum rei persecutoriarum, tum Syntag. exerc. 47. th. 17. aliisque.

esse inutiles, quoniam vsu pratico destituantur, (quod est argumentum primarium, quo abrogationem harum poenarum probant z) nonne inde sequitur, poenas priuatas eatus esse receptas, quatenus hodie in foro applicantur? Iam vero infra ostendam, plerumque nostra aetate decretum D. Marci adhibitum esse, quo pacto itaque receptionem eius in dubium vocare velis? Vrgere etiam solent, poenas priuatas moribus nostris haud conuenire propterea, quod mulctae secundum ius patrium pro iurisdictionis fructus, essent habendae. Verum id quidem tunc solum valet, quando lex aliqua scripta poenam priuatum in publicam commutavit; sed quamdiu id non est factum, quomodo tantum iudicii permitti potest, ut propter commodum iurisdictionis pro latitu a poena, legibus definita, recedat? Quod quidem iudicii eo minus licere apparet, cum aliarum quarundam actionum, ad priuatum satisfactionem comparatarum, constans viridisque obseruantia nemini apud nos ambigua videatur. Eiusmodi indolis e. g. est actio iniuriarium aestimatoria, atque plures inficiacionis dolosae poenae, quarum usus ne ab ipso ill. CLAPROTIO quidem negatur. a)

## §. 8.

4) *Legibus Imperii poena priuationis magis est abrogata, quam confirmata.*

Bene sentiunt contrariae sententiae addicti, futurum esse, vt tota causa caderent, quando argumentum pro usu decreti D. Marci, ex legibus imperii depromtum, intentum saluumque relinquerent. Ideoque in explicandis hisce legibus, earum sensu eruendo, ac sua applicando opinioni toti sunt, omneque in hoc conuertunt studium.

z) I. H. BOEHMER. de actio- a) Einleitung in den ordentl.  
nibus, S. I. c. VII. §. II. Process. §. 142, n. g.

um. b) Primo ad illum locum O. Cam. de a. 1521. tit.  
*Wie es in Irrungen der Possession etc. monent, eum ad cau-*  
*fas fractae pacis vnice pertinere, cum expresse ibi verba*  
*occurrant: "in Sachen die den Friedbrueb mit belangen"; ad-*  
*dunt autem, crimen fractae imperii pacis a nuda via facti*  
*plurimum differre, vt ex §. 1. Pacis Imperii, regnante*  
*Maximiliano I. publicatae, intelligi possit. Porro docent,*  
*ab ipsis imperii legibus pluribus aliis in locis inter causas*  
*fractae pacis et spolii simplicis s. invasionis discrimen ponit,*  
*eamque ob caussam prouocant ad Ord. cam. de 1521. tit.*  
*19. §. 2 ad Concept. ord. cam. P. III. t. 3. et Const. pacis*  
*publicae de a. 1548. t. 5. Non negamus quidem Ordina-*  
*tionem Cameralem l. c. inter crimen fractae pacis et sim-*  
*plicis spolii distinguere, dum illud verbo Germanico,*  
*Friedbrueb, hoc autem verbo, *gemeine Spolien*, insigne*  
*soleat. Sed salua res est, quia intuitu simplicis spolii ius*  
*commune et peregrinum plus vice simplici confirmant*  
*et obseruari iubent. c) Ex eo autem, quod decretum D.*  
*Marci expressis verbis ratione vindictae priuatae, quae*  
*cum crimine fractae pacis coniuncta est, confirmatur,*  
*collixi nequit, illud ad alia spolii genera extendendum non esse.*  
*Fortasse peculiaris quaedam ratio legislatores ord. cam.*  
*impulsit, vt illa animaduersione iuris Romani explicite*  
*securitatem publicam totius imperii munirent, quae mihi*  
*haec esse videtur, ne, cum violatorum pacis imperii bona*  
*a fisco eripiantur eique cedant, in dubitationem adduci*  
*possit, vtrum etiam in casu, quo criminis pacis imperii*  
*violatae via facti inest, laeso priuata iuris Romani poena*  
*salua maneret, nec ne. Illa autem sanctione laeso de iure,*  
*quod leges iuris ciuilis ei tribuunt, satis prospectum esse,*  
*arbitror, imprimis, cum postea idem R. I. de a. 1532. tit.*  
*Dein Cammergericht. §. 15. confirmatum sit.*

b) V. CLAPROTH Diff. cit. §. 9. et 10.      c) O. C. de 1555. P. 2. t. 8. §. 1.  
 et 15. Concept. O. C. de 1613. P. 2. t. 8. §. 1. et 16.

❧

Deinde, ne ratione quidem criminis fractae pacis poenam priuatam valere, sibi persuadent, quippe quae postea et in Ord. Cam. de 1555. P. II. t. 21. et in Concept. Ord. Cam. de a. 1613. P. II. t. 3. omissa sit, dum ibi de animaduersione in turbatores pacis Germaniae reipublicae ageretur. Quod autem attinet ad O. C. de 1555, non necessarium amplius adeo videbatur, ut decretum D. Marci infereretur, quia hoc, etsi non diserte adscriptum esset, vim suam habere merito censembar, praecipue quoniam in publicata pace de 1521. §. 19. generaliter dictum erat: "Und sollen diese Gebot den Landfrieden und desselben Poen betreffend gemeinen unsfern und des Reichs Rechten nichts abbrechen." Accedit, quod non nulli status imperii, O. C. de 1555. publicata, inter grauamina aduersus eam, hoc quoque afferebant, perperam in ea utilissimam constitutionem l. 7. C. *Vnde vi* praetermissam esse. Cui grauamini iudex assessorisque Camerae Imperii ita occurabant, ut, id factum esse, responderent, quia utilitatem, legem iuris Romani domesticae inferendi legi, haud viderent, cum quisque l. 7. C. *Vnde vi* in corpore I. C. euoluere posset, eiusque auctoritas repetitione expressa non augeretur; ceterum promittebant, se non minus hac, quam reliquis omnibus, quae securitati publicae inferirent, constitutionibus, strenue vsuros esse. d) Quid mirum igitur, quod in Ord. 1613. poenam priuationis repetitam non legas?

Denique vero ex eadem O. C. de 1613. ius Romanum in hac materia diserte abrogatum esse, in animum inducunt. Quod colligunt ex dispositione huius legis, qua camerae eiusque assessoribus ius ac potestas tribuitur, possessionem rei litigiosae sequestrandi, si eo' res iam processisset, ut partes essent in procinctu, atque armis ius suum sibi inuicem extorquere vellent, ideoque tumultus ac seditiones

d) V. DE LVDOLF de iure Camerali. in app. Imo. p. 13, 14 et 16.

tiones imminerent. Simul autem ex verbis huic sanctioni adiectis, "und so das bescheben soll, alsdenn solches keinen Theil an seinen Inhabern oder Besitzer im Rechte nachtheilig seyn," id imprimis luce meridiana clarius elucere volunt. Quomodo autem ex hoc loco, id quod intendunt, probare velint, quo quis nubilo mihi obscurius est, cum ibi de casu plane diverso ab eo, de quo nos disputamus, sermo sit, de illo scilicet, si non unus aliquis animo ius sibi dicendi alterius bona inuadit, sed si utraque pars in armis est, ut Marti commitat, quae rectius iudicis sententiae arbitrioque relinquenda essent. Proinde non video, quinam utriusque, cum pari sint in dolo, aduersus alterum ad poenam priuatam consequendam agere velit.

## §. 9.

5) *Pignorationes in Germania licitaæ abolitionem huius poenæ probare.*

Firmissimum denique praesidium Ill. CLAPROTH pro sententia sua euincenda in iure pignorandi ponit. e) Hunc enim in modum argumentatur: si verum est, legibus Romanis vindictam priuatam prohibitam esse, quia facile in detrimentum salutis publicae vergere potest, eamque ob causam Romanos pignorationes, quae vindictae priuatae, tanquam species generi, subiectae sunt, interdixisse, fieri nequit, quin apud nos, pignorationibus non modo consuetudine introductis, sed ex pluribus legibus prouincialibus confirmatis, decretum D. Marci omni practico vsu in Germania destituatur. Primum autem hoc ratiocinium eo laborat, quod a singulari quodam genere concluditur ad omnia. Est enim omnino pignoratio, singulare quasi genus auxilii, quod aliquis ipse sibi praestat, ut ius quodam

e) diss. cit. §. 11, 12, 14.



dam conseruet ac tuerit; verum propterea tamen haud satis recte colligitur, vbi hoc genus vindicandi sibi iuris sui permititur, ibi reliqua omnia valere, et poenam vindictae priuatae dictatam non valere. Si quid eiusmodi argumentum valerer, necessario exinde fueret, quod nec ipse Ill. CLAPROTH contendit, omnem vim priuatam hodie esse licitam. Deinde etiam, qui de iure pignorandi ad illam illicitam vim priuatam argumentantur, qua l. 7. ff. ad Leg. Iul. *de vi priv.* et l. 7. C. *Vnde vi loquuntur, non fas* tis veram pignorationis, qualis hodie sit, indolem ac naturam perspectam atque ob oculos habere videntur. Cum enim ius pignora capiendi semper requirat iustam et legitimam causam, haec triplex esse potest, atque vel in securitate consequendo pro damni illati reparatione, vel in conseruando sibi iure quodam, vel in coercenda contumacia alicuius consistit. f) Quod attinet ad pignorationes, quae ex prioribus duobus caussis priuatis competunt, iure Romano interdictae erant. g) Sed inueteratis iis semel in Germania, leges indigenae recentioris aetatis, immo et ipsius antiquae, tam arcitos illis limites posuerunt, vt non modo securitatem publicam non laedant, et turbent, sed potius tueantur, et conseruent. Quo spectat, pignora in ipso facto, et re propria atque praesenti, cuius causa capiuntur, falsa deprehendenda esse, neque ultra modum, quem finis, quo pignoratio suscipitur, desiderat, ac deinceps etiam ea esse iudici tradenda competenti ne auctoritatibus magistratus aliquid detrahatur. Praeterea in Germania pignorationum vtriusque generis quaedam specialis existit necessitas, quae in Romana republica cessabat. Cum enim Germania in tot ac varia dissecta sit territoria, ideoque persequendi iuris sui facultas in caussis, quas alterius

**f** V. STRYCK tr. vom Pfändungsrecht c. 3.

**g** l. 39 D. ad L. Aquil. Cf. C.

**F. HOMMEL** diss. de pignoratione et custodia animalium pauperem facientium. c. 2.

provinciae eius cum alterius ciuibus agunt, haud raro aliquantum difficultatis habeat, damnum autem inferens, quem laefus saepius ignorat, facile ex vno in alterum territorium vel transmigrare vel aufugere possit; nullo modo securitati possessorum melius, quam iure pignorandi, prospici potuisse. Quod autem ad tertium pignoracionis genus, contumaciae coercendae cauissa comparatum, attinet, hoc ex praescripto regulae non cuiilibet priuatorum, sed ei tantum, qui iurisdictione in contumacem est praeditus, vt licet. Intatu huius iuris autem, ab omni priuata vindicta prorsus immunis, Romanae cum patriis legibus quam optime conspirant.<sup>h)</sup> Itaque nihil frequentius, quam, vt praediorum domini, iurisdictionis simul instructi priuilegio, pignorationibus rusticis ad seruitia, censu, eiusdemque generis onera, siquidem sunt certa, et indubia <sup>i)</sup>, praestanda recte cogant. Attamen non inficias imus, in quibusdam provinciis, praesertim electoratus Brunsuico-Luneburgici bonorum villicorum dominis, et si iurisdictione destitutis, ius esse, pignorum deprehensione colonum coercendi, quando vel mercedem iusto tempore non soluit, vel operas debitas praestare detrectat. Ex quo vero particulari iure, quod originem villicorum bonorum antiquum sapit <sup>k)</sup>, non adeo graue pro abolitione decreti D. Marci argumentum proficitur, ac primo obtutu forsitan existimares. Primum enim, haec dominorum licentia, quia, nisi securitati publicae, autoritati iudiciorum certe nocet, in quibusdam provinciis, vbi olim vigebat, plane abrogata est, vt et in terris Brunsuico-Guelpherbytanis admodum sapienter factum esse ex recessu provinc. Salz-

C 2

dabl.

h) §. 3, de satisd. tutor.

i) Si enim ius, seruitia etc. a rusticis exigendi, incertum et dubium esset, pignorationes non forent permissae, quia lites ab exce-

cutione inchoare, insanum esse HOMMEL I. c. §. 4.

k) Spec. Sax. L. I. art 54. V. STRVEEN de iure villicor. L. VII. §. 7.

dabl. §. 20. apparet; deinde, vbi non est interdicta, ratione talium praestationum licet, quae optimo et certissimo iure dominis competitunt; denique etiam dubito vehementer, quin hanc potestatem nomine vindictae priuatae dicere possis, cum a dominis, quamvis iurisdictione destitutis, tamen ex concessione expressae in singulari quodam ac determinato casu exerceatur, neque pignorantes priuato iniustique ausu ad vim adhibendam rapiantur. Praeterea in illis terris electoratus Brunsuico-Luneburgici, vbi pignorandi facultas dominis bonorum villicorum conseruata est, prudenti consilio est cautum, ne coloni, nisi in poenam incurrere aliquam velint, resistant<sup>1)</sup>, quia alias, vt fit, facile a verbis ad verbera procedi, et caedes seditionesque oriri possent.

## §. 10.

6) *Imprimis pignorationes conuentionales.*

Hactenus dicta non nisi ius pignorandi legale attingunt; supereft, vt pauca de conuentionali adiiciantur, quo plane vsum poenae priuationis submergere operam dant aduersarii. m) Constat enim, medio aeuo nihil frequentius fuisse, quam, vt debitores creditoribus pacto hanc potestatem concederent, vt ab his possent pignoribus capiendis ad debitum iusto tempore soluendum coerceri. Sunt vero, qui contendant, idem ius in pacta deducere adhuc licere, et inde colligant, ius Romanum ratione poenae priuationis moribus nostris non conuenire, quia alias iudicia nostra eiusmodi pactitiis pignorationibus, vindictam spirantibus priuatam, minime indulgere apud nos possent. Sed recte Magnif. SELCHOVIUS, vir patrii iuris consultissimus, istiusmodi pacta, quibus aliquis cre-

<sup>1)</sup> Ord. Polit. Due. Luneb. de m) CL APROTH Diff. cit. §. 13.  
6. Oct. 1618. tit. 12. §. 2.

ditori sese sub iure pignorandi obligaret, illicita hodie esse, euicit, eaque ad reliquias iuris manuarii pertinere ostendit. n) Nam id, quod tempore, quo Germani iustitia tumultuaria vel potius nulla omnino vtebantur, licet, hac aetate, qua viuimus, emendata re iudicaria licere nequit. Palam autem est, nihil et securitati communii, de auctoritati iudiciorum ne excogitari quidem perniciosus posse, quam illius generis licentiam arbitrio creditorum relinquare. Profert sane PVFFENDORFIVS o) chirographa debitorum quorundam ex ducatu Bremensi de a. 1706. et 11, in quibus visitato et consuetudine confirmato, ut aiunt, pignorandi iuri se submittunt; sed ex hoc speciali exemplo tale pactum valere per omnia, haud fluit. Fac enim, vel sexcenties in ducatu Bremensi factum esse, ut tali modo debitores ad soluendi officium se obstrinxissent; tamen nihilominus ex eo ius consuetudinarium haud nasceretur, quippe quod, si vim fortiri deberet, nec rectae rationi, nec saluti publicae aduersari oportebat.

§. II.

7) *Obstare et regulam, quod in dubiis mitior sententia sequenda sit, et usum.*

Duae restant aduersariorum obiectiones, quibus rem totam confecisse aestimant. Primum, si quoque dare vellet, dubium esse, vtrum poena priuationis hodie applicari ad vindictam priuatam possit, nec ne, tamen aiunt, posteriorem sententiam praeualere, propter regulam, quod in causis ambiguis, poenam conceruentibus, secundum mitiorem sententiam pronuntiandum sit; p) deinde, quod usus forensis iam dudum istam rem, nimirum usum am-

C 3 plius

n) in diss. de reliquiis I. manuarii. §. 18.

o) T. II. obs. 62.

p) CLARROTH Einleitung in den ordentl. Process. P. I. Sect. I,

p. II.

plius non esse iuris Romani, decidisset, neque hac tempestate, qua iam viuimus, nullibi decreti D. Marci, nisi in libris atque in scholis I[Con]torum mentio fieret. q) Quod ad prius argumentum attinet equidem et nos, in ambiguis mitiorem sententiam amplectendam esse centemus, si modo recte intelligas suppeditatam regulam. Ante omnia, ut inter causas vere dubias, et in dubium tantum vocatas distinguis opus est. Illae enim sunt, in quarum disceptatione pro quavis sententia eiusdem ponderis rationes militant, ita, vt, quam sequaris, perspici accurate nequit; has autem nominamus, quae quamvis ab uno altero uesti docto homine in dubium vocatae, non adeo tamen sunt obscurae, vt dispici non possit, quaenam sententia anteverenda sit. Huiusmodi etiam generis disputatio de vsu poenae priuationis esse videtur, in qua si id, quod euincere certe admisi sumus, praefitimus, non video, quomodo quis propter hanc regulam in nostram ire sententiam haesitare posset. Felix sane foret, et exoptatissima ipsis scelestissimorum hominum conditio, si mitior semper sequenda sententia esset, cum aequissima quaevis poena aliquando ab aliquo Iureconsultorum severitatis sit accusata. Alterum autem argumentum ratione prouinciarum, vbi diserte in hac materia iuri Romano derogatum est, lubenter concedam, alibi vero, vbi id non est factum, e praxi in utramque partem exempla adduci possunt. r) Cum vero domestica adstaret, atque in iudiciis supremis Serenissimi Ducis terrarum Brunswico-Luneburgensium semper iuri Romano ratione poenae priuationis sit habitus honor, non est, quod ad externa confugiamus. Fuit quidem

q) idem in der Einleitung in  
fammtl. summarische Processe.  
p. 129. n. 2.

r) Exempla proferunt v. c.  
BLVMIVS in supplicat. Camer. t.

18. §. 31. BOEHMER in diff. cit. c.  
2. §. 9. STRYCK V. M L. IV. t. 2.  
§. 9. de BERGER electa discept.  
for. t. 5. obs. 6. aliique.

quidem iuris patrii peritissimus vir, b. D E D E K I N D V S s)  
 qui l. 7. D. ad L. Iul. de vi priu. forensi vſu deſtitutam  
 eſſe, aſſerere haud dubitaret. Sed p raeclare alius, qui  
 librum illum in acre vocauit exa men t), Iurisconsultus  
 egregius, quem honoris cauſa hoc loco fas eſt nominare,  
 Ill. C R A M E R , cancellariae Guelpherbytanae confiliarius, in  
 hunc locum animaduertit. Cuius verba digna ſunt, quae  
 huic traſlationi, colophonis inſtar addantur. "Contendit  
 "Autor," censor Dedekindi ait, "edictum D. Marci in ter-  
 "ris Brunou, baud in vſu eſſe, allegatque pro sua ſententia  
 "p raeiudicium in cauſa f iſcalis contra F. At contra ſemet  
 "ipſum arma porrigit; poena enim in Cancellaria duc., quod  
 "pro comperto babemus, in iſta cauſa ſecundum hoc edict. et  
 "L. i. ff. de concuſſ. defi nit a fu it. Inſecutum eſt poſtea reſpon-  
 "ſum facultatis iurid. lenens. quod vim rei iudicatae obti-  
 "nuit; hoc reſponſum ſecum ferrebat, vt, probatione peracta,  
 "F. ſecundum l. 13. ff. quod metus cauſa con demnaretur.  
 "Quod ſecundam ſpeciem in cauſa ſc. M. contra R. concer nit,  
 "ad illam pro ſubſtrata materia lex illa minime applicari  
 "po teſt. Obſeruantiam in ſuper edicti ſupra nominati in di-  
 "aſterio aul. Guelpb. teſtatur Leyſer Sp. 507. m. 8." (non ſpec.  
 107. m. 2.)

s) Einleitung zum Proceſſ der Herzogl. Braunschw. Wolfenb. H eimſtad. de a. 1776. ſcida. 50  
 Gerichte. §. 1. n. a.



Helmstädt, Diss., 1786-95

ULB Halle  
004 327 586

3




f

5b.







DE  
POENA  
LEGIBVS ROMANIS  
ADVERSVS VINDICTAM  
PRIVATAM  
SANCITA  
IN FORIS ADHVC VALIDA.

DISSERTATIO  
QVAM  
PRO FACVLTATE DOCENDI  
IN ACADEMIA IULIA CAROLINA  
PERMISSV  
ILLVSTRIS IVRECONSVLTORVM ORDINIS  
D. XX. SEPTEMB. A. MDCCCLXXXVII.

DEFENDET  
D. ERN. LVDOV. AVG. EISENHART  
AD SVMTO SOCIO  
AVGVST. GVILIEL. FERD. MEYER  
GANDESIENSI IVR. ET PHILOS. CVLTORE.

HELMSTADII  
TYPIS IO. HENR. KVEHNLIN.